

ad Chronicon Marmoreum.

143

ptorum autoritas omnino repugnant. Clemens Alexandrinus dicit non Corinthum sed Glaucum Sisyphi filium Ludorum Isthmicorum institutorem fuisse; quis igitur ille fuit, qui urbi Corintho nomen dedit, & unde illud nomen habuit originem, hoc à nullo autore satis manifeste indicato, manet incertum.

Mimas ^a Æoli filius Arnæ, quæ urbs Thessalica est, regnabat: hujus filius erat Hippotes, qui genuit Æolum secundum Patrem Arnes, quæ urbi nomen dedit prius alio nomine appellatæ. Hanc è furtivo concubitu gravidam esse deprehensam pater iratus mercatori Metapontino vendidit, qui eam Metapontum in Italiam abduxit, filiosque ex ea natos, qui ^b Æolus & Bœotus dicebantur, adoptatos habuit pro suis, donec ab cædem ab iis commissam urbe expellerentur. Æolus igitur ^c ad Liparum Aufonis filium insularum Liparæarum regem paratâ classe fugiebat, ductâque illius filiâ ei in regno successit: ubi cum artis nauticæ ^d studio multum se dedisset, & Ulyssi ad se venienti carbasis, & ventorum beneficio in navigando uti docuisset, inde orta est fabula apud Poetas illum ventorum promum fuisse, & Ulyssi utrem ventis plenum, quo felicius navigaret, dedisse. ^e Hujus filii fuere Aftyochus, Xuthus, Androcleus, Pheremon, Jocastes, & Agathyrsus, quorum Aftyochus in Liparæis insulis, Jocastes in regione circa Rhegium post patris obitum regnarunt, ceteri à Siculis & Sicaniis Siciliæ incolis, ut bellum, quod contra se invicem diu gesserant, ab iis componeretur, Reges electi fuerunt, eique & posterum eorum, donec Dorienfes huc deduxissent Colonias, hujus insulæ tenuerunt imperium, quæque in Sicilia loca Xuthia & Agathyrsis vocantur, ^e à Xutho & Agathyrsis Æoli filii dicuntur nomina habuisse. ^f Bœotus alter Arnes filius cum matre in Thessaliam reversus patri Æolo in regno successit, quo regnante ^g Bœoti tempore belli Trojani, cum eorum copiarum Trojæ abfuissent, à Pelasgis & Thracibus Bœotiâ expulsi ad Arnam venerunt, qui ab Arnensibus in partem agri recepti cum iis in unam gentem coalescebant, & tunc primum ^h secundum nonnullos uterque populus Bœoti dicebantur; sed longe antiquius fuit Bœotorum nomen, bello enim Trojano interfuerunt, qui Bœoti dicebantur. Alii igitur ⁱ ἀπὸ τῆς βοοῖς, quo duce ex oraculi monitu Cadmus in Bœotiam venit; alii autem ^l multo verius à Bœoti Itoni filio Amphictyonis nepote, qui secundâ post Cadmum ætate Bœotis imperavit, illius nominis deducunt originem. Non igitur Bœoti ab Arnensibus; sed è contrario Arnenses à Bœotis nomen fortiebantur, eodem modo Bœoti, quo Athenienses Iones, ab iis quos recipiebant, fuerunt appellati, ab eoque tempore pro Bœotis reputati cum iis circa ^m 60 annos post bellum Trojanum, quo tempore utraque gens à ceteris Thessalis Arnâ expulsa fuerat, Bœotiam quasi terram suam repetivere, eamque pulsas in Atticam Pelasgis eodem jure quo ii, qui inde expulsi fuere, sibi vindicantes agrum, qui circa fluvium Cephissum est & locum Copaidem, occupabant, ibique urbem condidere, quam in memoriam illius, è qua profecti sunt, Arnam appellarunt, quæ postea ⁿ Charonea dicta, ^o ob cladem ibi Atheniensibus à Philippo Macedone illatam, & ob civem suum Plutarchum multum fuerat celebrata.

Cretheus quem decimo loco numeravimus, Æoli filium fuisse ^p è Tyro fratris Salmonei filia genuit Pheretem, Amythaonem, & Æsonem. Æsonem cum Peleâ fratre uterino Jolci manens ^q è Polymede filia Autolychi genuit

^a Diodorus Siculus lib. 4. ^b Diodorus Siculus lib. 4. & Eustathius ad Homeri Odyss. x. pag. 1644. ^c Diodor. Sic. lib. 4. & 5. ^d Diodorus Siculus lib. 5. Eustathius ad Homeri Odyss. x. pag. 1645. Strabo lib. 1. ^e Diodor. lib. 5. ^f Diodor. ib. ^g Strabo lib. 9. pag. 401. Diodorus lib. 4. & lib. 19. p. 700. h Diodor. Sic. lib. 4. Nicocrates & Euphorion apud Stephanum Byzantinum in *Boeotia*. ⁱ Vide Stephanum Byzantinum in *Boeotia*. ^l Pausanias lib. 9. Stephanus in *Boeotia*. ^m Thucydidis lib. 1. Strabo lib. 9. Diodor. Sic. lib. 4. & lib. 19. p. 700. ⁿ Pausanias lib. 9. Strabo lib. 9. Eustathius ad Homeri 11. β. pag. 270. Stephanus Byzantinus in *Χερσονησος*. ^o Plutarch. in vita Demosthenis, & in vita Phocionis. & Diodorus Siculus lib. 16. ^p Homeri Odyss. x. v. 252. Didymus & Eustathius ad illum locum Homeri. Apollodorus lib. 1. Pausan. lib. 4. & 5. Scholiastes Apollonii Rhodii ad lib. 1. ^q Apollodorus lib. 1. Apollonius l. 1. & Scholiastes illius.

Jasonem